

munerum audivi querentem: «Quam bella», inquit. «aetas
 perit! Avida est periculi virtus, et quo tendat, non quid
 passura sit, cogitat, quoniam et quo passura est, gloriae
 pars est. Militares viri gloriantur vulneribus, laeti fluentem
 meliori casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint, qui
 integri revertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius
 reddit. Ipsi, inquam, Deus consulit, quos esse quam honestis-
 simos cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose
 fortiterque faciendi: ad quam rem opus est aliqua rerum
 difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem
 intelligas. Unde possum scire, quantum adversus paupertatem
 tibi animi sit, si divitiis disfluis? Unde possum scire, quantum
 adversus ignominiam et infamiam, odiumque populare, con-
 stantiae habeas, si inter plausus senescis? Si te inexpugnabilis,
 et inclinatione quadam mentium pronus favor sequitur? Unde
 scio, quam aequo animo latus sis orbitatem, si, quoscunque
 sustulisti, vides? Audivi te, quum alias consolaveris: tunc con-
 spexisse, si te ipse consolatus es, si te ipse dolere vetu-
 isses. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae dii immortales
 stimulus admovent animis. Calamitas virtutis accasio est.
 Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt,
 quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quidquid
 illis inciderit, novum veniet. Magis urgent saeva inexpertos:
 grave est tenerae cervici jugum. Ad suspicionem vulneris tiro
 velut pallescit: audaciter veteranus cruentum suum spectat, qui
 scit se saepe viciisse post sanguinem. Hos itaque Dens, quos
 probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet; eos autem,
 quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis
 malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum:
 veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur
 dimissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque
 aut mala valetudine, aut aliis incommodis afficit? Quare in
 castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectis-
 simos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut